



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens primos 25. Psalmos

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, [1761]**

**VD18 15558428-001**

Psalmus V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)



Concludit Psalmum: Quidquid sit de aliis, quos ad amicitiam cum Deo cohortatus sum, ego omnino in Deo confidere, ac penitus conquiescere volo. *In pace*, h. e. animo tranquillo, *in idipsum*, h. e. simul *dormiam*, & *requiescam*, h. e. securus cubabo ad dormiendum, & re ipsa securissime dormiam.

Ps. 10. *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.*

Ratio, cur in Deum omnem sollicitudinem projiciat, est, quod Deus fidelissimis suis promissis cum in sola spe constituerit, seu habitare fecerit: nec enim justus confidit propriis Viribus, aut ullà recreatâ, sed *singulariter*, seu solo Deo.

## PSALMUS V.

Titulus, & argumentum: *In finem pro eâ, quæ hæreditatem consequitur, Psalmus David.*

Psalmus compositus est in personâ Ecclesiæ, quæ hæreditatem salutis æternæ quotidie in suis membris consequitur, & in fine mundi tota consequetur. David itaque in personâ Ecclesiæ partim orat pro innocentia piorum tuendâ; partim impiorum peccatum detestatur.



✠. 1. *Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.*

✠. 2. *Intende voci orationis meae Rex meus, & Deus meus.*

David orat Deum pro dono bene orandi. Pro utroque versiculo nota: tribus modis loquentem non intelligas, vel si non percipis sonum verborum, vel eorum significationem; vel si non attendis, intentus rebus aliis. Nihil quidem horum in Deum cadit; agit tamen primò, quasi non percipiat sonum, si orans, ob distractiones, nec ipse sua verba percipiat, vel ita frigidè oret, ut oratio sursum non ascendat. Secundò quasi non intelligat, quid petatur, si orans nesciat, quid petat, E. G. petens sibi inutilia &c. Tertiò quasi non attendat, si orans indignus est, qui audiatur, vel ob peccata, vel ob orationem carentem adjunctis requisitis, humilitate, fiducia &c.

✠. 3. *Quoniam ad te orabo Domine, manè exaudies vocem meam.*

Rationem dat, cur petierit audiri à Deo, quia scilicet præcipuum ejus studium futurum est oratio, imò & primum;



mum; ideo summo manè, ante aliud ullum opus, se ait oraturum.

✠. 3. *Manè Adstabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*

Non solum manè orabo, sed etiam conabor me præsentem Tibi exhibere. Præcipua materia meditationis erit, quòd nihil magis, puàm peccatum oderis.

✠. 5. *Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.*

Non solum Deus odit peccatum, sed neque vult homines iniustos: non enim *habitabit &c.* h. e. non propinquabit jure amicitiae: *neque permanebunt &c.* h. e. non diu respicies oculo clementiae iniustos: licet enim nunc iis concedit multa bona temporalia; hoc tamen non diu durabit.

✠. 6. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*

✠. 7. *Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus.*

Deus non solum iniquitatem odit, sed etiam iniquos, quos perdere vult, & re ipsa



reipsâ perdet. Enumerat David peccatores primò opere; *qui operantur iniquitatem*; Secundo verbo, *qui loquuntur mendacium*, puta perniciosum; Tertio cogitatione, sive desiderio, ut crudeles, & sanguinis appetentes, & qui dolos meditantur, ac struunt.

✠. 8. *Ego autem in multitudine misericordiae tuae introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.*

Refert fructum matutinæ contemplationis: Ego confusus in multâ misericordiâ tuâ, non in viribus meis, ut evitem omnia peccata, *introibo in domum tuam*, scil. orationis, prosternar coram tabernaculo tuo, & tremens implorabo auxilium tuum.

✠. 9. *Domine deduc me in iustitia tua, propter inimicos meos: dirige in conspectu tuo viam meam.*

Hæc est oratio, quâ orat in domo Dei. ut eum Deus ducat per viam iustitiæ, faciendo illum implere omnia mandata, Deum semper præ oculis habendo. Id verò orat ob insidiatores suos: necessarium enim est Dei auxilium propter

ter



ter tot hostes, qui ad peccata pertrahere conantur, sive Dæmones, sive homines terrentes, vel allicientes.

¶. 10. *Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est.*

¶. 11. *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant.*

Dat rationem, cur auxilium velit contra inimicos, quia videlicet nihil intendunt, nisi decipere, & difficile est infidias eorum vitare: nec solùm falsa dicunt, sed etiam dolosa, sub specie boni persuadendo mala. Sepulchrum *interius* est anima, sive cor, ubi sunt desideria, & cogitationes horridæ, færentes velut cadavera putrefacta, indè fætor verborum mortiferorum &c. Guttur, lingua, os, quæ sunt instrumenta loquendi, sunt Sepulchrum *patens*, sive os sepulchri.

¶. 12. *Judica illos Deus, decidant à cogitationibus suis; secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te Domine.*

Prophetia est potiùs, quid impiis futurum sit, quàm imprecatio, ut fiat. *Judica*, h. e. judicabis, condemnabis eos.

Deci-



*Decidant &c.* h. e. frustrabuntur spe suâ, quâ sperabant se subvertere posse electos. *Secundum multitudinem &c.* h. e. pro meritis suis expellentur ab hæreditate ad tenebras. *Irritaverunt Deum*, quia, dnm homini nocere se putant, Dominum offenderunt.

ψ. 13. *Et lætentur omnes, qui sperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis.*

ψ. 14. *Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices justo.*

ψ. 15. *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.*

Prædicat felicissimam hæreditatem Electorum, quibus titulus Psalms eam promiserat. *Et lætentur &c.* Etsi nunc certando laborent, lætentur tamen sperantes non in Vanitatibus, sed in Deo, qui faciet eos æternum exultare in Cælo, cum ipsi in Deo erunt, & Deus in eis, & erit Deus omnia in omnibus. Hæc autem exterior quasi exultatio nascetur ex internâ immensa lætitiâ, & gloriâ, nam *gloriabuntur in te, ô Deus, omnes qui diligunt*, h. e., omnes iusti: caritas enim est,

est,



est, quæ justos, & Dei filios facit. Gloriantur autem, quia *Tu benedices justo*, h. e. benefacies, reddendo coronam gloriæ, quam meretur. Et quia Vocatio, justificatio, merita bona, & ipsa glorificatio procedat ex benevolentia Dei, concludit: *Domine, ut scuto &c.* h. e. Confiteor tibi, Domine, omnia nostra bona inde manare, quia beneplacitum tuum, sive gratia tua nos complexa est, & undique protexit, ut scutum protegere solent milites.

---

## PSALMUS VI.

**T**itulus: *In finem in hymnis pro octava, Psalmus David*, Hebræus legit: *Super octavam*: Sic videtur intelligi genus citharæ, habentis octo chordas, quæ Psalmi cani solebant. Vide 1. Paralip. c. 15. Per *Octavam* communius intelligitur dies ultima judicii, sequens post dies sex laboriosos hujus vitæ, & post septimam quietis animarum.

Argumentum: *Oratio peccatoris, timantis Divinum judicium, & ad reconciliationem aspirantis.* Psalmus hic est primus inter Pœnitentiales ab Ecclesia numeratus.